(P)

GRUMMERT


VNIVERSIDAD·NACIONAL D·MEXICO
POR · MI · RAZA · HABLARA · EL · ESPIRITV

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

VARIOLIS CATARRHALIBVS

QVAM

CONSENSV INCLYTI MEDICORVM ORDINIS

PRO OBTINENDIS

SVMMIS IN MEDICINA ET CHIRVRGIA

HONORIBVS

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

D. XVII. JUNII MDCCLXXXVI.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

CAROLVS MICHAELIS GRVMMERT

MOSCOVIA RUSSUS.

GOTTINGAE

TYPIS JOANN. CHRISTIAN. DIETERICH.

De variolis catarrhalibus.

§. I.

Variolarum morbus eſt exanthematicus, febrilis atque contagioſus. Generatim quatuor diſtincta percurrit tempora hic morbus; quando videlicet variolarum venenum cum corpore communicatur, quaedam localia primum excitat ſymptomata. — Quodſi aegroto ante inoculatae ſunt variolae, per duos primos dies in inſitionis loco nullam plane mutationem cognoſcimus, tertio vero die leuis quaedam ſeſe oſtendit inflammatio, ſub forma ſubflauae et rubicundae maculae; quarto ac quinto die rubor in circulum dilatatur, atque ſtigma paululum elatius redditur. Alii aegrotorum tunc temporis, plerumque de pruritu queruntur, alii vero de doloribus ſub axillis atque in ſuprema brachii

 parte.

parte. In naturali infectione saepissime etiam primis diebus vnam solummodo variolam animaduertimus, quae a generali deinceps futura eruptione non dissimilis, eundemque processum habet, quam Angli Master-Pox appellant; cum autem in naturali infectione maxima ex parte per os variolarum venenum corpori inferatur, primas omnium mutationes in praecordiis praecipue obseruamus: aegrotantes enim anxietatibus in praecordiis laborant, et inquietus ac turbatus ipsis est somnus, atque ciborum taedium. — Septimo die vix adueniente variolarum venenum ita est multiplicatum et auctum, vt totum et reliquum neruorum systema adgrediatur, ac generales commoueat motus febriles. — Die octauo ac nono symptomata augentur, ipsa febris crescit, aestus ac frigores inter se alternant, lassitudo, sitis, dolores oriuntur in membris circa lumbos, in oculis, in capite, collo &c. Quod igitur iam enarratum primum est stadium, quod plerumque per nouem dies durat, variolis deinde erumpentibus, secundo stadio locum cedens. — Illud vero primum temporis spatium non semper eiusdem est diuturnitatis. Vir ill. Stromeyer, docens mihi valde colendus, communicauit casum; se infantem recens natum conspexisse, cui nutrix destinata esset, quae antea alii infanti variolis laboranti praebuit lac suum, quod vero omni cum studio negauit, et cum quarto iam post infantem natum die variolae circa eius labia, in ore ac in facie, efflorescere coeperint; hic verosimile est,

vt

vt ipſa tenerrima ſubiecti ſtructura veneni praematurae euolutioni maxime idonea fuerit. Forſan etiam aliae hoc efficere poſſunt cauſſae, ſi nempe in ipſa infectione in terrorem incidat, aut tempore quo dentes erumpere ſolent, variolis inficiuntur; quo multo irritabiliores atque aptiores ſunt, ad variolarum venenum excipiendum. — Sic quoque aut minus aut magis coctum et ſaturatum pus, quod in inſitione adhibetur, ad ſeriorem aut maturiorem variolarum eruptionem quidquam forte conferre poterit. Secundum ſtadium decimo plerumque die initium capit ſuum ab infectione, aut quarto, ex quo febris eſt orta; fermentatio a variolarum veneno in corpore humano commota deſinit, et natura inter criſes ſocias deponit materiam pernicioſam ad ſuperficiem corporis in paruulorum, rubicundorum atque elatorum punctorum forma, quae primum in facie, collo et pectore, et dein in ceteris corporis partibus prodeunt, ſimul caetera ſymptomata omnia miteſcunt et febris ceſſat; hoc ſtadium durat per duos aut plurimum per tres dies. — Tunc tertium exoritur ſtadium, in quo variolarum cacumina altius ſurgunt, et albidiora redduntur, in quibus initio tenue et aquoſum pus apparet, quod pedetentim denſius et magis flauum fit, cutis interiacens etiam extentatur, rubicunda fit et dolores procreat. — Febris cum aliis ſymptomatibus, quae variolarum eruptione peracta prorſus deſinebant, redeunt, ipſae corporis partes pro ratione

riolarum eruptione intumeſcunt, et quidem primum facies, et praecipue palpebrae, quo tumore oculi clauduntur, ſi hic diminuitur humeri intumeſcunt, demum et lumbi, cum interea variolae ipſis inhaerentes pus colligant, hoc ſtadium vsque ad vndecimum diem a febris eruptione protrahitur. — Nunc vltimum venit ſtadium, vbi variolae exſiccari incipiunt, et in cruſtas et ſquamas mutatae decidunt, et quidem eodem ordine, quo effloruerunt. Simul febris et reliqua ſymptomata ceſſant, rubicundae tantummodo maculae aliquamdiu permanent. Hic variolarum quas naturales ac benignas vocant eſt decurſus.

§. II.

Ipſam variolarum veneni naturam neſcimus, quae nobis de indole illius cognita ſunt, tantummodo ex ipſius effectibus colligere poſſumus. Contagioſum nempe eſt, et quidem eiusdem attactu, contrectatione veſtimentorum, linteorum, aliarumque rerum, quibus aegrotus variolis infectus vſus eſt, inſpiratione aëris halitibus varioloſis referti, eisdem cum ſaliua hauſtis, cute attractis ac puris inoculatione perfertur, nec non quaedam corporis humani diſpoſitio et certa aëris conditio deſiderari videtur, ſi illud variolarum venenum vim ſuam in homines exhibere debet. Exempla enim exſtant, variolas hominibus quibusdam eſſe inoculatas, et

accidiſſe,

accidiſſe, vt ipſae non effloreſcerent, tempore autem aliquo interiecto ſponte ſua variolis naturalibus infectos eſſe.

Ex magna quoque obſeruationum copia certiſſime conſtat, illas vna tantummodo vice vnum eundemque hominem inficere.

§. III.

Variolarum virus ſemper idem eſt, ac ipſe morbus, ſi per ſe eum ſpectamus, benignum. Modo quibusdam cauſſis accedentibus perniciosiſſimum euadere poteſt malum. Haec ſunt irritamenta varia in corpore ipſo, praeſertim autem vermes inteſtinales, qui, ſi cum variolis adſunt, valdopere eas poſſunt perniciosas reddere. Conſtitutio ſingulorum aegrotorum valde etiam mutat ſubſequentem morbum, nec non temperamentum aegrotantis, habitus, aetas, victus ratio, vitae genus, hereditaria labes, anni tempus, aliorum morborum complicatio, inepta medela et alia. Certum enim eſt conſtantique experientia confirmatum in vna eademque epidemica conſtitutione, imo in eadem familia et domo, vti alios quoscunque morbos, aliam indolem aſſumere videmus, ſic quoque variolas multiplici ratione, ſymptomatumque grauitate variare. — Innumera enim occurrunt exempla vbi primus benigna admodum ſpecie, hanc vero excipiens confluente maligna et mortifera aegrotus

afficitur.

afficitur. — Hoc etiam patet in variolis inoculatione progenitis, quae etsi vna eademque materies variolosa ad insitionem adhibita fuerit, haud exiguum quandoque inter ipsas discrimen est ortum. — Immo ex confluentium quas vocant pure discretas et benignas, ex discretarum benignarumque contagio, confluentes malignasque non raro procreari nouimus. Constitutioni aëris epidemicae semper sese etiam accommodant variolae; sicuti enim alii morbi saepius repentina aëris mutatione maxime maligni redduntur, sic eadem est ratio variolarum. Interdum enim tam lenes atque benignae illae sunt, vt sine vlla febri neque ante neque post eruptionem, aut certe cum leuissima quae vix obseruari potest, erumpant, ac paene sine omnibus periculosis praetereant symptomatibus; idque speciatim euenire in laxiori sanguinis diathesi, SYDENHAMIVS *a*) animaduertit, in qua tota separationis periodus, vt ipse ait, sensim et gradatim transigitur. — Plerumque tamen febrem excitant, cuius ope natura venenosam materiam in cutem deponit. Quodsi vero aut putrida, aut biliosa aut neruosa febris epidemica his associetur, quis est qui miretur, si variolae, quae primum optimae indolis esse videbantur, naturam in peius commutant? — Scriptorum etiam principes in hac obseruatione maxime inter se conueniunt. HVXHAM *b*) ipse

a) *Opuscula vniuersa*, *Sectio III. cap. II.*

b) *Liber de febrib.* Cap. I. *de variolis.*

ipſe ait, vnius eiusdemque morbi varios effectus in varia ſolidorum et fluidorum conſtitutione nullo in caſu magis, quam in variolis eſſe euidentes. Peculiari enim aëris ſtatui proprium eſſe videtur, vt alia aliaque ratione ſolida et fluida afficiat, quae ea aliis aliisque febribus reddat obnoxia. — Aliam enim athmoſpherae conſtitutionem ad febres inflammatorias, aliam ad febres lentas et neruoſas, aliam ad febres bilioſas, ac aliam ad putridas, malignas aut petechiales excitandas pronam inuenimus; quando igitur contagium cum vna vel altera conſtitutione accidit, et cum illa ſimul agit, vnam vel alteram variolarum, vel potius febris cum variolis excitabit ſpeciem. Rationi etiam conſonum eſt, conſtitutiones variolarum epidemicas modo benignas modo malignas, magna ex parte deberi praecedentium tempeſtatum aërisque ingenio peculiari, ſolidarum fluidarumque partium ſtatui. — Si variolarum morbus hominem robuſti ac validi corporis invadit, vehementiſſima febris inflammatoria ſaepiſſime aſſociatur, vnde modo pulmones, modo cerebrum et aliae corporis humani partes multum mali inflammatione pati poſſunt, vbi V. S. inſtituere debemus. Aliquando accidit febris nervoſa, quae plerumque lymphaticas aut cryſtallinas parit variolas — aliquando febris putrida coniungi poteſt, vbi ſanguis diſſolutus variolas efficit putridas. Nec non etiam quam ſaepiſſime cum ſtatu bilioſo connubium variolarum eſt obſeruatum, vt inter alia in epidemia accidit, quam

Stolle *c*) nobis deſcribit. Hic ipſe *d*) etiam confirmat obſeruationes numero non paucas in eam ſententiam ipſum adduxiſſe, variolas et morbillos eundem ſemper morbum, eumque benigniſſimae indolis, niſi omni ſemper at ſaltem potiori tempore eſſe, quiue ſoli, extra conſortium prauum cito decurrunt et periculo carent, ſed quas a miti ingenio ſuo populare temporis vitium detorquet, efferatas reddit et exleges; ipſe etiam pergit, ex hac opinione eam ſibi legem in ſanando vtroque morbo ſtabiliuiſſe, vt febrem epidemicam, cuius praeſentiam et commixtionem cum ipſe anomalus variolarum morbillorumque decurſus, tum propria epidemiae ipſius notae illum docuere, methodo efficaci et directa curet.

§. IV.

Sydenhamvs *e*) obſeruare etiam voluit, eundem morbum epidemicum in ipſiſſima anni conſtitutione varia ſaepe et diſſimili facie ſeſe oſtendere, quod ad tempora attinet principii, ſtatus et declinationis morbi. — Quin et variolas ad exemplum epidemicorum aliorum quorumlibet, primo ſtatim inſultu atrociores eſſe, atque in dies increbreſcere,

c) *Rat. med. T. II. p. 222.*

d) Ibid.

e) *Opuſcula vniuerſa Sect. I. cap. II.*

ſcere, donec ad ſtatum perueniant, quem ſemel transgreſſas tum quoad ſymptomatum vehementiam, tum aegrorum numerum ſenſim imminuere. — Quae mihi tamen diſſimilitudines ab eadem varietate conſtitutionis aeris diuerſis anni temporibus oriri videntur. Sic noſcimus aeſtiuo tempore propenſionem quamdam ad putridas, autumnali ad bilioſas, hyemali ad inflammatorias et verno ad catarrhales febres humano in corpore ſuſcitari. Et aëris et tempeſtatum diverſae varietates has ipſas quoque diſpoſitiones commutare queunt, et hac ratione fieri poteſt, vt per totius anni ſpatium vnusquisque menſis aut quaedam hebdomades tales epidemicarum conſtitutionum mutationes procreent, quae plane diuerſam eiusdem morbi curandi rationem efflagitant.

§. V.

His itaque praemiſſis neminem fugiet, medendi variolarum rationem modumque non ſemper ac vbique ſibi conſtare, ſed quando et ratione et bono cum ſucceſſu variolis mederi velimus, tam epidemicae conſtitutionis et febris variolis ſe commiſcentis, quam etiam ſingulorum aegrotorum, nec non aliarum illarum cauſſarum quas ſupra nominauimus, habendam eſſe rationem; quicunque enim ſemper eadem ac immutabili methodo variolis mederi vellet, ſaepius aegros ſanaret ſuos, quam ſaepiſſime etiam ipſa eademque methodo illos occideret.

§. VI.

Quidam ſuadent in initio morbi, praeſertim tempore eruptionis aegrotis regimen calidum adminiſtrare. Variolarum enim eruptionem cum ſudore fieri, aegrotosque, eruptione facta melius ſe habere animaduerterunt, indeque ſunt ratiocinati, morbum leniorem redditurum iri, quando illae ruptio aliqua ratione promoueatur; atque ſpem inde conceperunt, ſanguinem a variolarum veneno, ſudoris eruptione adiecta, eo citius purgatum iri: cui ſententiae Mortonvs *f*) ipſe conuenit; Sydenhamvs *g*) autem eſſentiam huius morbi in peculiari quadam inflammatione comprehendit, in qua natura primis aliquot diebus id negotii habet, vt particulas inflammatas praeparet, ſubigatque, quo facilius in corporis ambitum eliminetur; quo tempore ſeditione mota, et perturbato iam ſanguinis ſtatu, febris vt accedat omnino neceſſe eſt. — Haec vero certo quodam gradu et tempore eget, quo miaſma variolarum praeparari, extricari et expelli queat, non ſecus vt in fermentationibus vſu venit, vt liquor fermentans haeterogeneas, impuras, inutilesque ſubſtantias ſecernat ac dimittat. At illud miaſmati varioloſo proprium etiam videtur, quod non modo fermentationis quandam veluti ſpeciem ſuſcitet, verum

f) *Opera medic. exercitat. III. Cap. VII.*

g) *Diſſ. epiſt. ad Guilielmum Cule.*

verum etiam fermenti instar plus minusue sanos humores in suam naturam transmutet sibique assimilet. — Si vera sit haec et iusta huius morbi historia, coecus sit oportet, inquit, qui non videat omnem eiusdem euentum optatissimum a curationis fundamento recte aut secus primis in diebus iacto, pendere. Nam si calidorum et praecipue iugi lectuli vsu calentes hae ac spirituosae particulae acuantur, necesse est, vt assimilandi facultas (qua iam diu plus satis pollent) adhuc intendatur et augescat. — Hinc inde frigidum regimen ipsum in variolarum curatione (cuiuscunque fuerint generis) vbique idque promiscue adhibendum acriter contendit. Id regimen in variolis curandis quam plurimum vtile esse, vix est hodie, qui vltro non fateatur. — In omnibus omnium variolarum speciebus tamen vtraque methodus minime indiscriminatim adhibenda: vt vnicum modo exemplum hic afferam, quando nempe vires in hoc stadio valde languent, et neruosum systema imprimis afficitur, atque morbus ipse symptomatibus febris lentae nervosae comitatur; tunc nequaquam regimen frigidum adhibere possumus, quo ipso occideremus aegrum, sed moderatum, tali tamen modo ne febrilem motum nimis infringat, neque vim vitae et neruorum magis deiiciat. Quare paulo diutius lecto aeger indulgeat, atque indumentis se contegat aliquantulum grauioribus, neque se aëri liberiori et frigido temere committat, cautiusque in lecto permu-

tando aut ventilando cubiculo ſe gerat; intrinſecus vero ei dentur, quae quidem diluunt, ſed vna moderate excitant et motum cordis atque arteriarum leniter ſollicitant *h*). Si vero primo iam ſtadio ineunte, ſigna diſſolutionis putridae ſe prodant, aut in eam pronior conſtitutio epidemica ſe oſtendat, mature contra pugnandum eſt antiſepticis proprie dictis, non neglecta interim cubiculi et lecti ventilatione et mora, ſi fieri poteſt, aliqua extra lectum in aëre puro, aperto et ſubfrigido; cui ſententiae Hvxham *i*) ipſe conſentit: inquit enim, interdum Sydenhamii, interdum Mortoni conuenire poteſt methodus.

§. VII.

Neque vero ſanguinis emiſſionis vſum adeo frequenter in omni variolarum impetu adhibitum comprobare poſſumus. Vbi ſanguis ſpiritusque valde agitati eius circulationem maxime rapidam reddunt, natura eo magis perturbata, nulla ordinata via materiam morboſam expellere, multo minus concoquere, aut quoque conſuetas et naturales efficere valet ſecretiones, talibus in caſibus ſanguinis emiſſio vix eruptionem, ad minimum vltra iuſtum eius terminum non retardat, ſed cum fluidi vitalis motus nimis vehementes compeſcat et ordinata magis ſpirituum animalium ſecre-

tionem

h) *Burſerius inſtitutiones medic. pr.* Cap. *de variolis.*
i) *loc. cit.*

tionem efficiat, iſtas magis iuuabit immo in eius operatione ſuccurret. — Numquam vero in complicatione variolarum cum febre putrida vel lenta neruoſa ſanguinis miſſio locum habet, quia vires illico exſoluit, putredinem accelerat et mortem.

§. VIII.

Talia cum eſſent, quid nunc de praeparatione generali illorum, qui inſitionem ſunt ſubituri, cogitandum eſt, vbi peculiares quaedam Corticis Peruuiani et Mercurii praeparationes, vt antidota, in omnibus ſubiectis laudatae ſunt. Nonne vnum idemque profecto medicamentum varia in conſtitutione corporis aegroti, varias edet effectus? et temere ageret, qui corticem et roborantia cardiaca cuidam fibris fortibus et rigidis ac ſanguine denſiori viſcido praedito, vt prophylacticum aut praeparans dare vellet; licet iſta in ſtatu vaſorum debili et laxo ac tenui et aquoſo ſanguine inſtructo magnam vtilitatem afferre poſſint. Num etiam mercurialia in nimis laxe cohaerenti et diſſoluto ſanguinis ſtatu conuenient? Balnea quoque tepida in vniuerſum quaſi prophylactica etiam atque etiam ſunt commendata; vt cutis per ea ad leuiorem variolarum eruptionem praeparetur. — Sed tamen et haec tunc praecipue adhibenda eſſe mihi videntur, ſi aſpera eſt cutis atque quaſi immeabilis, et natura ipſa obſtacula oppoſita vincere nequit.

Itaque et hic ſemper ad conſtitutionem ſingulorum reſpicere et illorum conditioni praeparationem accommodare debemus. STOLLE *k*) ait: quo modo praeparare hominem oporteat, inſitioni ſubiturum, auctores diuerſimode opinantur. At antecellere omnes alios ea methodus videtur, quae quod in homine vitioſum eſt, prius ſanat, eumque extra epidemiae aut praeſentis aut iamiam imminentis aſſultum, tamquam extra morbiferi teli iactum, quam longiſſime remouet.

§. IX.

Hinc inde etiam inoculationis optatus dependet ſucceſſus, vt tempore non ſimus excluſi ad vnumquemque aegrotaturum pro ſua ſingulari conditione praeparandum. Sic ſi aeger eſt plethoricus V. S. antea eſt exhibenda, ſi naturae deficiunt vires, tunc illae roborantibus cardiacis ſubleuandae et ſic porro; ſimulque in hanc rem aptiſſimi aetatis temporis ratio habenda eſt, et quidem intra annum quartum et duodecimum, ante quod temporis ſpatium dentes plerumque apparere ſolent; contra experientia ſumus edocti in aetate robuſtiore ac virili pluribus iam euolutis in corpore cupiditatibus, maius periculum variolas comitari. — Hic quoque infectionis locus eligi poteſt; cum enim naturales variolae, vt plerumque fit, per ventriculum

k) *l. c. p.* 238.

triculum et pulmones impertiantur, multa ante ſemper procreant incommoda, quam materies varioloſa in cutem deponatur; iſtis autem in iuſtum et proprium locum ſtatim productis homines illa difficilia et moleſta ſymptomata neutiquam ſentiunt. — Simili modo etiam ab aliis morbis corpus aegroti prius liberamus. Ita omnibus periculoſis ac moleſtis conditionibus ante ſublatis, nihil relinquitur, quod variolas a bona ſua indole deducere queat, ipſaeque bene et optimo cum ſucceſſu defluunt.

§. X.

Iam ſupra commemoraui, diuerſam aëris conditionem humani corporis tam ſolidas quam fluidas partes ita permutare poſſe, vt ipſum modo ad hanc modo ad illam febris ſpeciem propenſum reddat, eodem quoque modo animadvertimus peculiarem aëris conſtitutionem, quae catarrhorum ſaepiſſime eſt cauſa. Sicuti autem variae febrium modificationes variolis ſeſe coniungentes harum propriam ac benignam indolem commutant, ita etiam catarrhi comitari ſolent variolas, qui eas maligniſſimas ſaepe reddunt. Cum itaque variolae dominantis epidemicae aëris conſtitutionis characterem ſemper induant, et per eam in ipſarum decurſu maximam patiantur mutationem: maxime miror quo tandem accidit, vt connubii variolarum cum catarrhali conſtitutione tam parum mentionis fiat. Nam praeter

LENTINVM *l*), qui talem variolarum cum febri catarrhali coniunctionem duobus in locis nobis descripsit, et HVXHAMVM, qui in dissertatione sua de variolis, catarrhales etiam commemorat, perpauci, quos equidem perlegi, medicae artis scriptores, mentionem de illis faciunt, et hi ipsi, qui aliquid hac de materia referunt, neque satis accurate et praecise, neque satis copiose eam tractauerunt materiam. — Quae cum ita essent, hac occasione mihi optatissima vtar, et operam quam possum maximam mihi dabo in expositione symptomatum et decursu huius variolarum coniunctionis, tum idoneae et aptissimae curandi methodi, tum etiam in auertendis sequelis malae indolis.

§. XI.

Causam proximam catarrhorum ipsorum tribuunt quidam transpirationi impeditae, cum illi plerumque a refrigerio corporis aestuantis originem suam ducant; non semper tamen catarrhalium epidemiarum causae tantummodo in transpiratione impedita sunt quaerendae. — Haud raro singularis quaedam ratio aëri inesse ac specificum quoddam miasma ex aëre corpori humano impertiri videtur, sicuti

WEIKARD

l) *De aere, vitae genere et morbis Clausthaliensium annorum 1774–1777.* et *Beobachtungen der epidemischen und sporadischen Krankheiten am Oberharze im Iahre 1777–82.*

Weikard et multi alii confirmant; quod ex permultis epidemiis catarrhalibus conſtat, quae tam repente progrediuntur et eos quoque homines, qui robore peculiari ad verſus omnes perſpirationem turbantes cauſſas praediti ſunt, inuadunt. Hvxham *m*) etiam febres catarrhales non a tranſpiratione impedita ſolum deriuauit, ſed etiam ab acrimonia ex aëre corporibus hominum communicata: alias inquit difficile intellectu eſſet, vnde tam ſubita ſaepe ſubeat commotio homines, algido vdoque aëri expoſitos, tam immenſa deſtillatio humoris per nares, oculos, fauces; adeo acris ſaepe vt vel ipſam cutim erodat, ac tuſſes vehementes moueat et ſternutamenta perpetua: neque haec in paucis duntaxat, ſed et per innumeros vndique ſimul et ſemel diſpergitur morbus. — Nemo igitur mirabitur variolas, ſi diuerſo modo talis acrimonia iis conſocietur, benignam permutare debere in peiorem indolem.

§. XII.

Rariſſime tamen catarrhus purus nec immixtus exſiſtit, ſed maxima ex parte febris tunc temporis dominantis characterem aſſumit, inde in decurſu ac ſymptomatibus, magnae intercedunt diuerſitates, ideoque plane diuerſam exigit tractandi methodum. Tale connubium materiei catarrhalis cum putrida ſanguinis craſi mihi videtur protuliſſe variolas

 illas

m) *Opp. phyſ. med. T. I. p. 370.*

illas anomalas confluentes epidemicas annorum 1670-1672, quas SYDENHAMVS n) deſcripſit: confluentes enim has ab aliis, vt ipſe ait, quas per alios annos obſeruauerat, confluentibus, in multis diſcrepaſſe, nunc ſecundo, nunc tertio die ſe primum monſtrabant, ſpecie tumoris ſubrubicundi atque vniformis, vultum omnem contegentis, eryſipelate quidem denſioris, nullo fere viſibili puſtularum diſcrimine; reliquum corpus congeries quaedam (ceu panni latiores) ex infinitis propemodum puſtulis rubris efferatis in vnam conflatae variegabant, inter quas ſparſae, in femoribus praecipue, veſiculae quaedam ſatis conſpicuae, ambuſtorum ad inſtar, ſero limpidiore diſtentae eminebant, quod quidem disrupta ſubinde pellicula copioſe effluebat, ſubiecta carnis nigredine ſphaceloque quaſi affecta; et febris et ſymptomata alia omnia, vel quae praecedebant, vel comitabantur hoc variolarum genus, grauiora erant, aegri ad ſaliuationem erant procliuiores.

§. XIII.

Non minus etiam variolae illae cryſtallinae in epidemia Iglavienſi, quam SAGARIVS o) deſcribit, hic mihi pertinere videntur. Cryſtallinae enim et verrucoſae, ille ait, vt omnia ſtadia longiora habuerint, ita etiam ſtadium ſuppurationis,

ſi

n) *Opuſcula vniuerſa, Sectio IV. cap. VI.*

o) *Diſſ. de variolis Iglavienſib. anno 1766.*

ſi tamen ſuppurationis ſine ſuppuratione dici poteſt, protraxerant, donec lympha vel materies lardacea ex papulis ruptis, arroſis ſibi exitum paraſſet, ſtadiumque hocce terminaſſet. — Triſtes et anheli erant infantes quidam pure opprimente pulmones; pulſus tum aderat inſpirationis tempore deficiens, aut penitus intermittens; collapſus variolarum, nigredo ſubinde et petechiae atropurpureae ferali omine cutim hinc inde obſidebant; alios pure ad caput ruente phrenitis exſtinxit; alios conuulſio contorſit; in quibusdam materies peſtilentialis partes oris ſibi praeeligens fauces, palatum pendulum, fornicatum, nares, maxillas conſumpſit, dentes peſſumdedit adeo vt nati deplorandi dentem vnum poſt alterum, tum maxillas per partes propriis ſibi manibus eximerent, licet debiliſſimi cunctis ſtupentibus et dolentibus, qui circumerant; crudeliſſima materies vaſorum lumina occupauit, eaque inflammans et corrumpens in liquamen convertit.

Feliciores, quorum cutim materies petens tubercula rubra excitauit fabae magnitudinis circiter; quae poſt vnam alteramue diem alba facta et rupta materiem acrem ſeroſam, cutim rodentem pluebant, feliciores hos ſtudioſe dixi; nam plerique febre et reliquis ſymptomatibus poſt dictam criſin ſeruati ſunt omnes, vbi priorum rariſſime vllus euaſit.

 Cauſam

Causam ipse crystallinarum harum variolarum inquirens, assignat illam constitutioni aëris antecedenti humidae, nebulosae, austrinae et boreali, transpirabile retinendo intra, corpuscula solida laxando, quae etiam vt plurimum catarrhis amica. Quid itaque, pergit, clarius exprimi potest, quam per datam delineationem tempestatum causa variolarum, quarum historiam exaro, expressa est: humida enim fuit valde constitutio, nebulosa, iam aquilonia, iam austrina, hinc crystallinae et flaccidae siliquosae originem ducebant, haec etiam causa fuit quod ipsae purulentae diutius pus coxerint. Sic etiam et alia modificatio febris adiungere se potest, tunc et alia edet symptomata et alia inde enascentur pericula, aliaque requiritur methodus medendi.

§. XIV.

Antequam ad ipsam casuum in variolis catarrhalibus obuenientium descriptionem transeam, illud adhuc praemittendum esse censeo, quod ipsae plurimum verno tempore et humida quidem ac nebulosa et frigida aëris temperie, quae quoque catarrhis maxime fauet, comprehendantur. — Si igitur variolae aut vere aut supra descripta tempestate contagiosae fiant, ex sufficientibus rationibus tunc coniunctionem hancce suspicari, atque iam sese praecingere possumus; haec admonitio eo magis necessaria est, cum epidemia irruente non modo quatuor aut sex, sed multo plures

aegroti

aegroti ſimul curandi ſint, ita vt ipſorum numerus in epidemia aliquantulum longe diſſipata intra aliquot dies vsque ad centum et amplius augeatur, quod praecipue in catarrhalibus epidemiis contingere ſolet. — Quodſi quis in tali vt ita dicam inundatione vniuerſali morbi indolem plane ignoraret, neque ſtatim in ipſo initio bene perſpectam et cognitam eam haberet, neque eius originem e praecedentibus et praeſentibus definire poſſet, is aegrotorum multitudine paene perturbaretur, et primis hoc morbo laborantibus temere et inconſulto, caeteris vero haud melius conſuleret; nonne enim in maxima turba aegrotantium animi tranquillitas expellitur, qua indigemus ad ſingularum partium naturam et connexum vniuerſi cognoſcendum. — His vero expoſitis et illuſtratis aegrotum conuenientius percontari et ſimul idonea medicamenta praeſcribere poſſumus.

§. XV.

Catarrhum ipſum adeſſe facile ex ipſi propriis caſibus cognoſcere poſſumus, vt e frigore ſaepius obruente ac aeſtu; frequenti ſternutatione, e naribus et oculis acre quoddam ſerum effluit, tuſſi crebra affliciuntur aegroti et micturiunt; capite ſunt perturbati; in ipſa fronte preſſionem et ſtupiditatem ſentiunt. Inter diu in melius abeunt, ad veſperam autem exacerbationes patiuntur. Hiſce demum variolarum ſigna diagnoſtica ſe adſocient. Quando igitur deſcripti

caſus

caſus incidant, et variolae in eadem regione ac loco, vbi verſamur, dominantur, ſi etiam in habitaculo, in quo variolis laborantes viuerent, commoratus ſit aeger, neque variolarum morbum iam perpeſſus, haud iniuſte tunc ſuſpicari poſſumus, variolas mox apparituras et demum catarrhales euaſuras.

§. XVI.

Nunc quidem diſtinctius expoſiturus ſum, quatenus variolae a catarrhali illa acrimonia ratione ſymptomatum et decurſu variant

I. Variolae maturius effrondeſcunt, nam duplici ſtimulo catarrhalis acerbitatis cum variolarum veneno coniuncto, impetus in aegroti corpore augetur. Omnia ſymptomata atrociora itaque ſunt, febris ſcilicet, quae ob naturam catarrhalem veſpertinas ſuas habet exacerbationes, anxietas et alia, vnde fit, vt praematurius promoueatur variolarum eruptio.

II. Ob naturalem tractum materiei catarrhalis fauces imprimis et oculi patiuntur, inde ſemper iam mature ſalivatio acerrima et moleſtiſſima ſe oſtendit. Non minus oculi patiuntur ob humores illos acres ſemper effluentes. — Obſeruatum quoque eſt, plurimas variolas erumpere in facie et in corpore ipſo pauciſſimas inueniri, quod Lentin quo-

que

que animaduertit: ipſe enim in tali epidemia catarrhali vidit, oculos neque vllius infantis tam diu infectos fuiſſe, quam illa pura ac biliofa conſtitutio durauit; contra permultis, etiam nonnullis eorum quibus inoculatae erant, in oculis effloruerunt, dum ad vnum omnes catarrhalis ſtatus prehenderit.

III. Quam plurimum periculi quoque affert tranſpiratio impedita. — Sub tanto febris ſpaſmorumque enim tumultu aeger non ita prompte in ſudores diſſoluitur, ac in illo diſcreto genere, vbi magna vt fit, ad eosdem propenſio vt plurimum praenunciat variolas, quae mox erumpunt, minime confluxuras; variolarum materies igitur aduentu humoris catarrhalis ita commutata, vt magis liquida ſed etiam acrior reddita, in corpore maneat, conuulſioneque mortifera hominem correptum iugulet. Vidit enim Lentin aegros dies noctesque incaſſum vſtos, ſub immani ſpaſmorum, vigiliarum, dolorumque tyrannide fere iugulatos, niſi vicaria alia excretio illa ſubſtituatur, quod praecipue ab aucta excretione vrinae ſperandum, quae tamen hic etiam ſaepe turbatur: ſub acutiſſimis enim doloribus in regione lumborum, nephritici paroxiſmi aemulis, renes ne guttulam quidem vrinae ſecernunt, obſeruante Lentino, immo aegri neceſſitate ad meiendum ne ſtimulantur quidem, cum non habeant in veſica vrinam, vel tantum paucam, igneam, graueolentem, omnem pudendorum viciniam arrodentem,

lintea turpiter tingentem et aegrum perpetua veſicae vellicatione et ani teneſmo valdopere excruciantem. — Vidit ipſe infantem nondum biennem, variolis decumbentem, ante ſuppurationis ſtadium vrinam adeo mordacem emittere, vt non citius cutem madefaceret, quam infans attractis clunibus eius fugiendi cauſa aſſiliret.

IV. Variolae hae numquam bene matureſcunt, ſed materia manet cruda, tandemque fit merus aqueus ichor ac eae plurimis in locis confluunt et admodum largas effingunt veſicas; quae denique disruptae omnia corrodunt et aegrotum exulcerant, ita vt lepori corio priuato appareat ſimilis. Naſcuntur itaque confluentes et cryſtallinae.

V. Huius tenuis crudaeque materiae maxima pars saepius iterum abſorbta ad ſanguinem perfertur, et inſignem puſtularum flaccidarum, vacuarum vel ſiliquoſarum, vt dicitur, relinquit copiam. Facilis hic enim latex, vel pauore forte inrepente, ſub quo cutis vaſa inania fiunt et expalleſcunt atque facile ſibi attrahunt et abſorbent humores proximos, vel quauis alia cauſa, quae tranſitum ſanguinis ad cutem et venas cutaneas impediat, quo minus faciliori negotio ſanguis ex arteriis tranſire in venas poſſit. Maximeque id patitur fluxilis humor et nullo coercitus parietum puſtulae obſtaculo, ne venis abſorbeatur: quod in alterius ordinis variolis ſuppuratis facile non fit, obſtante aut muco

Malpig-

Malpighiano non penitus consumpto, aut propria puris visciditate.

VI. Retrogressus causticus ille latex neruis est maxime inimicus, et terribiles in scenam producit morbos, nouamque tragoediam iterum ludit, quae plerumque mortifera finitur catastrophe; rigores enim conuulsiui, febres peripneumonicae, delirium, dysenteria, syncope caeteraque sunt pedissequae. Quod si enim febris valida sit, variolae non flauescunt, sed materia acri, fusca aut rubicunda repletae sint, status longe periculosior est, etsi reliquae circumstantiae bonae esse videantur.

VII. Nullum denique genus variolarum magis cicatricosum reddit hominem quam hoc. Etenim acris materies vicinas saepe arrodit partes, febrem accendit, inquietudinem, anxietates et spasticas producit contractiones, vnde non raro mala innumerabilia generantur; aut materies haec ad sanguinem deponitur, partes internas inficit, et nonnumquam subitam mortem affert.

§. XVII.

Quae praecipua sunt symptomata immixtione catarrhalis acerbitatis variolarum veneno contingentia, quae equidem ex ambabus illis epidemiis a Lentino descriptis, et ex Hvxhamo collegi. — Praeterea vir autem illustris ac celeberri-

mus Stromeyer annorum 1781-84 in hac ipſa vrbe Gottingae epidemiam ſimilem curandam habuit, cuius praecipua ſymptomata ab illo mihi beneuole communicata cum iam deſcriptis plene conſentiebant. Citius ſcilicet apparebant, plurimaeque potiſſimum in facie, ore, naribus et oculis, in caeteris vero corporis partibus rariſſimae. — Confluebant etiam ob rapidam eruptionem nec non lymphaticas habebant intermixtas variolas, ceterum erant mitiſſimae.

§. XVIII.

Quod ad prognoſin ſpectat, catarrhales variolae per ſe neutiquam malignae euadunt, nec non ſi cum ſtatu inflammatorio ſint coniunctae: non vero eodem modo res ſe habet, ſi biliofae aut neruoſae, aut putridae ſint, aut vermibus aſſociatae. Perniciosiſſimae aegrotis vitioſis pulmonibus inſtructis, exiſtunt. Saepius quoque ipſae vitioſas eas relinquunt. — Oculi ſaepe etiam valde per ipſas deformantur. — Quod ſi variolae in naribus aut in ore erumpant, maximum tunc periculum a reſpiratione impedita oritur. — Si quando largus ſudor vnquam in variolis eſt ſalutaris, in hac eſt ſpecie: maximum nempe periculum a retrogreſſione tenuis huius et acris materiae ſuperuenit. — Nihilo minus ſi diarrhoea moderata aut vrina copioſa materia ſaturatius tincta ſubſidente ea aufertur, aegrotus ſaepius conualeſcit; quod ſi vero deiectiones alui nigrae, cruentae aut ſanioſae accedunt, eae generatim

tim deſtructionem inteſtinorum indicant, ſi in primis abdomen eſt tumidum dolens et tenſum.

Atque micturitio aut perpetuus emittendi vrinam conatus ſine aliqua eius inſigni euacuatione, niſi a veſicatoriis ortum trahat, ſymptoma eſt peſſimum.

§. XIX.

In ipſis curandis his variolis potiſſimum id ſpectandum eſt, qualis naturae malum ſit, num catarrhus admixtus ſimplex ſit et benignus, aut cum alia quadam vel inflammatoria, bilioſa, putrida, vel neruoſa febre coniunctus. Tunc ſemper in primis huic febris indoli ſecundum regulas vniuerſales occurrendi opera eſt danda; ſimul etiam noxae ab ipſa catarrhali materia illatae, omni cum ſtudio depellendae ſunt. — Quod ad has proxime attinet conandum eſt, acrem catarrhalem humorem inuoluere, confluxum humorum a capite deducere, quoniam, vt ſupra dixi, plurimae puſtulae in hoc genere variolarum, ob naturalem confluxum materiei catarrhalis, in facie erumpunt; ſimul opera danda eſt ſeri abundantiam e corpore eliminare; vt humores naturalem integritatem rurſus induant, et ita ad pus benignum elaborandum diſponantur.

Humores abundantes lenibus diaphoreticis et inprimis diureticis e corpore abiguntur, cum autem febri aliqua, li-

 cet

cet mitiori aegroti illi ſemper laborent, nullo modo comprobare poſſumus, calefacientia incidentia illa, vt eſſentia Pimpinellae albae a LENTINO laudata. — Ne autem humores acres per maxime irritabiles vrinae vias transeuntes, illas valde irritent et dolores recentes et noxam pariant, aegrotis potum demulcentem ſaepius dari praecipiendum eſt.

Ad variolarum eruptionem a facie abigendam conduceret aegrotos ante ipſam eruptionem bis aut ter balneis tepidis immittere, quo cutis peruia redderetur et variolarum venenum verſus cutem alliceretur.

Rhaſes iam ipſe in variolarum morbo balnea vaporum adhibuit. Quin etiam frictio panno laneo in balneo ipſo inſtituta maxime conueniret. Vt porro catarrhalium acrium humorum confluxus ab oculis euitaretur, vnde ipſi multum doloris accipiunt, intra morbi decurſum veſicatoria pone aures poſita haud inſalubria eſſent.

Saliuatio iam mature accedens leniter eſt ſuſtinenda, qua de cauſſa aegroto quam ſaepiſſime copioſa potulenta ſunt porrigenda, et quidem mucilaginoſa ad acritatem leniendam, idemque collum externum calidum ſeruare debet. Quoniam humores acres vt irritamenta hic agunt et tantos inſultus ac ſpaſmos pariunt, quibus febris, anxietas, inſomnia et alia ſymptomata augentur, facile intellectu, opiata hic ſaluberrima

rima eſſe. Hvxham ipſe ait, nulla dantur remedia, quae tam efficaciter humores tenues acres inſpiſſent, eorum irritationem et defluxum auertant, et puſtulas maturent quam opiata conuenienti ratione data.

Quod ſi vero catarrhus diutius durauerit, et apparent iam ſyſtematis concoctionis declinationes, tunc medicamenta aluum laxantia ſunt praeſcribenda.

Quod ad diaetam attinet aegrotos oportet abſtinere ab omnibus acribus et aeſtuoſis tam cibis, quam potibus, non carne, ſed tantum vegetabilibus veſci, ſimulque calidiores, quam ſolemne erat eſſe, ſed ne quid nimis.

Acritate hoc modo inuoluta et, ſi nimia confluentibus alioquin variolis materiam ſubminiſtrante, eliminata, ſpaſmi etiam praecauentur; cum veriſimilitate ſperare tunc poſſumus variolas irruentes bene ſuppuratas iri.

Si nihilo minus confluant variolae et veſiculas acribus humoribus repletas conforment, alia enaſcuntur inde diſcrimina maxime timenda, ex illorum retrogreſſione ab tenuitate magna humorum; tali in ſtatu conſilium Hvxhami ſequendum eſſet, vt nempe veſicas reſcindas, humoremque acrem emittas, qui alias facile latius vagatur et reſorbetur. Neque veſicatoriis in hoc ſtadio parcendum eſt, et profecto quando copioſae adſunt puſtulae ſine opiatis parum efficere

valemus,

valemus, cum iſtae in hoc morbi tempore valde dolent. Praeter haec et diuretica adhuc adhibenda, et aliae excretiones ſuſtinendae.

Tempore, quo variolae ſiccantur, maximum ſemper periculum inſtat: nunc quidem cutis deformis papulis eſt obſita, atque canales exhalantes omnis generis illuuie ſunt obducti, natura ergo perniciofis exonerari nequit humoribus, ipſi reſident in corpore, occupant partes corporis humani nobiliores, ex quo ſuppurationes oriuntur, quae eo ſunt pernicioſiores, quo minus pus benignum ſperare poſſumus. Nonne optime verſabimini ſi Lentino hoc conſilium nobis praebenti, morem geramus, cutem videlicet molliorem balneis tepidis reddere, ita vt ad materiem pernicioſam immittendam ſit idonea?

Creberrime obſeruatum eſt, materiam hanc tenuem, acrem varioloſam ad inteſtina et ſaepius quidem valde violenta ratione transferri. — Innumera etiam in variolis praeſtant exempla, vbi aegroti vitam critica quaedam ſeruauit diarrhoea; natura ipſa enim in infantibus hanc euacuationem in locum ſaliuationis ſubſtituit, in adultis illam itaque ne praemature nimis vnquam cohibeamus, ſolliciti eſſe debemus. Omnino, vt breui dicam; quam viam et rationem ſeſe exonerandi natura ingreditur in ipſa adiumento illi eſſe debemus.

Cum

Cum tali modo modificationem febris aſſociatam mitigamus, et catarrhalem conſtitutionem impugnamus, variolae nunc nullo obſtaculo interpoſito, ſecundum naturale et mite ingenium, ſtadia ſua bene ac feliciter percurrent.

§. XX.

Ad incommoda, quae ſunt accumulationes materiae purulentae in praecipuis corporis partibus, praeſertim autem verſus oculos adactae, quae vti iam monui, eo magis timendae, quo minus pus benignum exſpectandum, euitanda, per aliquantulum temporis ſpatium materiae varioloſae nimis aſſimilatae deiectio per vias ſolemnes rite retinenda eſt, quo corpus aegroti ab humoribus acribus penitus liberetur.

THESES.

I.

Inflammationis cauſſa proxima non eſt obſtructio.

II.

Sanguinem vix purgant, ſed inquinant potius vlcera artificialia.

III.

Solutio placentae non eſt acceleranda, ſed fere ſemper naturae committenda.

IV.

Bonus theoreticus, non ſemper eſt bonus practicus.

V.

V.

Motus retrogradus fluidorum in vaſis lymphaticis locum habere poteſt in ſtatu morboſo.

VI.

Febris puerperarnm omnis generis eſſe poteſt.

VII.

Hirudines plethoram topicam plus augent, quam minuunt.

VIII.

Aër dephlogiſticatus purus vitam hominum minime protrahit.

UNIVERSIDAD NACIONAL AUTONOMA
DE MEXICO